





~~F 7235.~~

Bd 77 12

Wegen Schimmelpilzbefall wurde
dieser Band im Jahr 2001
durch Gamma-Bestrahlung sterilisiert.
Verfärbungen sind ohne Bedeutung



OFFICE OF
THE
JUDICIAL
INVESTIGATION
STATE

MEMORANDUM

TO THE HONORABLE
THE JUDGE
OF THE
COURT

DISPUTATIO THEOLOGICA,

EXHIBENS

TRIGAM CON- TROVERSIARUM ANTISOCINIANARUM,

QVAM,

GRATIA DIVINA ADSPIRANTE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO AC EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICO WILHELMO,

REGNI PRUSSIAE ET ELECTORA-

TUS BRANDENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.

VENERANDA FACULTATE THEOLOGICA CONSENTIENTE,

IN ILLUSTRİ ACADEMIA REGIOMONTANA,

SUB PRÆSIDIO

VIRI SUMME REVERENDI, AMPLISSIMI ATq; EXCELLENTISSIMI,

DOMINI,

PAULI POMIAN PESAROVII,

S. S. Th. D. ejusdemq; Prof. Extraord. Celeber. Pastoris Eccl. Cathed.

vigilantiss. Confessorii Samb. Assess. Digniss. Sch. Cathed. Insp. grav.

PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUMMA OBSERVANTIA COLENDI,

placida Eruditorum Disquisitioni sistit

PAULUS DRIGALSKI,

C. A. A. & R.

IN AUDITORIO MAJORI, H. C. Anno MDCCXI. die Julii.

REGIOMONTI, EX OFFICINA,

Privilegiò SAC. REG. MAJ. confirmatà GEORGIANA.

V I R O

*Plurimum Reverendo, Clarissimo atque
Doctissimo*

DN. M. GEORGIO ANDREÆ

Selwing!

Pastori Angerburgensi meritissimo, Scholæq;
Inspectori vigilantissimo

UT ET

V I R I S

*Prenobilissimis, Spectatissimis, longoq; rerum
usu exercitatissimis,*

DN. CHRISTIANO SALOMON,

S. R. M. in Prussia Capitaneatus Angerb.
Secretario Expeditissimo,

DN. JOHANNI BERG,

S. R. M. Rei Frumentariæ Præfecto
ibid. Dignissimo.

*Fautoribus & Benefactoribus summo obser-
vantiae cultu devenerandis,*

Disputationem hanc Theolog. in grata
animi signum

consecrat

PAULUS DRIGALSKI

Num lectio Veteris Testamenti sub Novo jam Testamento Christianis sit necessaria ?

§. I.

Varios quovis seculò extitisse hæreticos, qui non solum auctoritatem Vet. Testamenti in dubium vocarunt, verum etiam vel omnes vel plerosque V. T. libros repudiarunt, nemini ignotum esse potest, nisi illi, qui in Historia Ecclesiastica planè est peregrinus. Etenim quis ignorat Simonem Magum omnium Hæreticorum Antesignanum Sec. I. docuisse, Prophetas Angelorum ministros fuisse, & ex illorum inspiratione prophetasse: quare nec ipsos, nec eorum comminationes magnopere curare debere, conf. Kortholti Hist. Eccles., Sec. I. cap. 2. pag. 16. Seculò II. Marcionem alium Veteris, alium Novi Testamenti autorem esse statuisse, & Vetus Test. tanquam à malo Deo profectum respuisse, teste Tertulliano præscript. cap. LI. libro adversus Marcionem. Seculo III. Manichæos, quos adversarios Legis & Prophetarum nominat Augustinus in Disp. contra illos; lib. 1. cap. 1. contra advers. leg. & Propb. inquit: *Non enim soli Manichæi legem, Prophetasque condemnant, sed & Marcionitæ, & alii nonnulli, quorum secta non ita innotuerunt populis Christianis.* Et ante ipsum Chrysostomus Serm. contra Anomæos: *Simul multos alios hæreticos proferre poterimus, videlicet Marcionem, Manichæum, Valentinum. Manichæi enim, & qui fallionis illorum socii, Prophetas & Patriarchas contemnunt.* In horum classem referendus etiam esse videtur Socinus, qui inter alia nefanda dogmata, quæ dudum ab Orthodoxis sunt explosa, etiam docuit, non magnificandam hodie esse auctoritatem Vet. Testamenti. Ita enim ille de autor. Script. cap. 1. p. 16. *Quod verò pertinet ad auctoritatem Vet. Test., ea non est hic magnificanda.* Et pag. 36. *Utilem quidem, ait, plures ob causas esse lectionem Vet. Testamenti iis, qui Novum recipiunt, id est, hominibus Christianæ religioni, sed non tamen necessariam.* Eandem sententiam fovent ejus asseclæ. Ita enim Smalcus ref. monstr. p. 79. *Parum, inquit, curandum est, quid*

quid dicat de cultu Dei Propheta V. T. Allos brevitatis gratiâ omit-
timus. Cùm itaque hæc Socinignorum sententia scripturam Vet.
Testamenti vilipendat, merito eam rejicimus, atque lectionem Vet.
Testamenti ut Scripturæ Canonice hodie sub Novo Testamento
quoque necessariam esse, probamus seqq. rationibus.

§. II. Initio extra dubium positum est, Scripturam Canoni-
cam Vet. Testamenti esse divinæ dignitatis & autori-
tatis, cum minus à Deo inspirata sit, quàm Scriptura N. Testamenti, id quod
Apostolus disertis verbis docet, 2. Tim. 3. 16. *πᾶσα γραφή θε-
οπνεύστος* & omnis Scriptura est divinitus inspirata, tam V. quàm N.
Testamenti. Similiter illud in propatulo est, ex effato Petrino, 2.
Pet. 1. 21. *Non voluntate humanâ allata est aliquando Prophetia,
sed à Spiritu Sancto impulsæ, ὑπὸ πνεύματι ἁγίῳ φερόμεναι lo-
cuti sunt sancti Dei homines.* Idem etiam inuivit Apostolus Hebr.
I. inquit: *Deus variis vicibus & modis olim locutus est per Pro-
phetas, hisce ultimis diebus locutus est nobis per filium.* Cùm igitur
ex allatis testimoniis constet Vetus Testamentum ex immediata Spi-
ritus sancti revelatione consignatum esse, quis quærò ausit asserere,
Scripturam talem non esse necessariam aut parvificandam? potius
exinde indubitato colligere possumus, V. Testamentum pari piete-
tis affectu cum Novo esse venerandum & recipiendum. Neque est
ut excipias; dari aliqua in V. Testamento, scilicet præcepta Cere-
monialia, & judicialia, quæ hodiè non obligant. Nam licet quæ-
dam hodiè sint extra usum vel observantiam: tamen negari nequit,
extare multa, quæ universalis sunt necessitatis, veluti præcepta mora-
lia, & historiæ, quæ uti tot seculis auctoritatem suam habuerunt,
ita per Novum Test. illam amisisse neutiquam dici potest.

§. III. Dein Scripturæ lectionem V. Testamenti esse neces-
sariam, Christianis non solum patet ex mandato Joh. V. 39. ubi
ipse Salvator hortatur ad S. Scripturam legendam his verbis: *Scru-
taminini Scripturas, quoniam vos putatis in iis vitam aeternam habe-
re, & hæc sunt, quæ testificantur de me.* Et Luc. 16. v. 29. *Habent
Moysen & Prophetas, audiant eos.* Verùm etiam inprimis ob ἑλεγ-
χον Judæorum sive ad convincendos Judæos. Si enim articu-
lum de Christo intueamur, quomodo quærò probabitur JE-
sum Nazarenum esse promissum mundi Messiam, nisi per V. Testa-
mentum?

mentum? in illo enim extant vaticinia probantia Christum esse verum Messiam, veluti Prophetia de sceptro ex Juda, quod ita sonat: *Non auferetur sceptrum de Juda, & legislator de pedibus ejus, donec veniat S. hilo, & illi erit aggregatio populorum*, Gen. XLIX. 10. De adventus Messiae tempore, de quo clarissime vaticinatus est Daniel Dan. IX. v. 24. ubi haeleguntur verba: *S. prima pars septuaginta decisa sunt super populum tuum & super urbem sanctam tuam, ad cobibendam pravitatem & obsequiandum peccata, & expiantum iniquitatem & adducendum justitiam aeternam. & obsequiandum visionem & Prophetam, & ad ungendum sanctum sanctorum*. De adventu ad secundum templum, quâ de re vaticinati sunt Aggeus cap. 2. v. 8. & Mal. 3. v. 1. De loco Nativitatis Mich. V. v. 2. ubi ita Vates praedicat: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvula es minime in millibus Juda, ex te enim exiit Dominator in Israel*. E quibus & aliis vaticiniis solidissime evinci potest, & quod venerit jam promissus Messias, & quod Jesus Nazarenus sit i. le promissus Messias. Quæ cum ita sint, quis ergo adeo perfrectæ frontis est, ut negare audeat, lectionem V. T. hodiernum esse necessariam.

§. IV. Accedit, quod N. Testamentum Veteris auctoritatem, necessitatem & usum confirmet. Hanc in rem notari merentur verba Apostoli Petri 2. Pet. 1. 19. *Habemus firmiorem Prophetiarum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucerna lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris; & vers. 20. Hæc primum intelligentes, quod omnis Prophetia scriptura propria interpretatione non sit &c.* Addo, quod saepenumero à Scriptoribus S. loca ex V. Testamento allegentur ad probationem & confirmationem aliquorum in Novo. Flurima in medium asserere possemus hujus rei exempla, unicum tamen atque alterum adduxisse sufficiat. Sic Hebr. I. v. 5. probat Paulus Christum esse illum Filium Dei, quem constituerit heredem omnium, ex verbis Psalmi II. v. 7. *Ego hodie genui te*, & verba sequentia: *Ego ero ei Pater &c.* quæ 2. Sam. 7. v. 14. extant, pro probanda assertionem Apostolus adducit. Cum itaque certum sit Scriptores Novi Testamenti conciones suas è Veteri Testamento probasse, adeo ut Paulus asserat, se extra illud nihil docuisse Act. XXVI. 22. abunde liquet, lectionem scripturæ V. T. non utilem tantum, sed & necessariam esse Christianis.

§. 5. Thesi sic munita superest, ut objectionibus Socinianorum occurramus. Dux autem præcipuæ sunt, quibus sententiam suam stabilire conantur. Dicunt itaque Vetus Testamentum jam per Novum abrogatum esse, adeoque nullam illius insuper esse necessitatem, quod ipsa nomina indicare scribunt, Vetus & Novum. Id est foedus, quod pepigit Deus cum populo suo. Verum hanc consequentiam simpliciter negamus. Utut enim concedamus Vetus Testamentum eatenus abrogatum esse per Novum, quatenus docet umbratilem observationem eorum, quæ illi Ecclesiæ statui, populoque congruentia ad Messiam referebantur, in N. T. esse adimpleta, minime tamen inde inferre licet, scripturam V. T. omniaque quæ in ea continentur, esse abrogata, vel eapropter hodie non esse legenda aut æstimanda. Si enim ex abrogatione quarundam rerum contra earundem necessitatem concludere licet, sponte sua fuit, illam adhuc esse legendam, & hodie æquè ac olim magni æstimandam, quoniam pleraque pars in Veteri Testamento nihil commune habet, cum tali abrogatione. Ut taceam etiam in N. T. talia reperiri, quæ jam non observantur, ut de donis ministrorum extraordinariis, quæ hodie cessant; aut quis sanæ mentis propterea lectionem scripturæ illius necessariam esse negaret?

§. 6. Dicunt Sociniani in N. T. omnia sufficienter haberi, quæ ad religionem & salutem faciunt, adeoque lectionem V. Test. jam non esse necessariam. Audiamus ipsum Socinum de Aut. script. p. 36. sic differentem: *Postremò considerandum est (disputet contra quivis) si recipiatur N. T., non posse ad ipsam religionis summam quidquam ferè momenti habere, quamcunque V. T. depravationem, cum nihil non levis momenti potuerit esse in V. T., quod Novo non contineatur; nec quidquam illius recipiendum sit, quod non contineat cum iis, quæ in hoc sunt scripta. Adeò ut utilis quidem plures ob causas sit lectio V. T. iis, qui novum recipiunt, id est, hominibus Christiana Religioni, sed non tamen necessaria.* H. I. Aut consequentia vacillat, quoniam Deus Scripturam suam non sufficientiæ nostræ duntaxat, sed etiam abundantie consulere voluit. Proinde distinguendum esse videtur, inter necessitatem sufficientiæ & necessitatem abundantie. Potuisset sanè Deus uno libro omnia comprehendere ad salutem necessaria, quia verò Deo placuit copiosè nobiscum

nobilisſum agere, hinc varios Scripturæ libros viris *Σοφιστοῖς* mandavit literis conſignare. Licet itaque in Novo omnia, quæ ad ſalutem faciunt, abundè contineantur; tamen & V. Teſtamentum plurima continet, quæ inſignis ſunt uſus & neceſſitatis. Unde ſi-
milter colligimus V. T. lectionem etiamnum hodie eſſe neceſſariam,
V. enim T. eſt Novi fundamentum, Novum autem Veteris com-
plementum.

CONTROVERSIA II.

An ratio humana ſit idoneus controverſiarum
Theologicarum Judex ?

§. I.

INter cæteros errores Socinianorum, quibus fundamentum fidei
evertunt, maximus ſanè eſt, quod cœcam hominis rationem
non tantùm fidei, & religioni adæquare, ſed etiam controver-
ſiarum Theologicarum Judicem conſtituere ſtatuant. Si enim nihil
credendum, quod rationi humanæ contrariatur, proſectò tota fides
Chriſtiana in diſcurſum rationis noſtræ velut ultimum principium
reſolveretur. Hanc autem eſſe Socinianorum ſententiam ex propriis
ipſorum verbis eſt manifeſtum, Oſtorodus in inſtitut. cap. 4. p. 30. *Si quis
autem diceret, hanc noſtram rationem (contra Trinitatem ibidem diſpu-
tat) non valere, quoniam in S. Scriptura talia de Chriſto filio Dei,
& Spiritu S. ſcripta ſunt &c. Reſpondemus ad hoc, valdè illud qui-
dem deplorandum eſſe in tam crassa cæcitate herere homines, quoni-
am impoſſibile eſt, eandem rem ſimul falſam & verum eſſe. Si ergo
ratio, id eſt ingenium vel intellectus exſeritè oſtendat, Trinitatem
Perſonarum in DEO falſam eſſe, quomodo unquam homini intelli-
genti in animum veniret, illam nihilominus verum eſſe poſſe, &
verbò DEI probari poſſe?* Idem aſſerit Smalcus in Refut. Theſ.
Dn. D. Franc. p. 137. *Nulla eſt Chriſtiana religionis particula,
qua cum ratione non conveniat; & qua cum ratione non convenit
opinio, ea etiam in Theologia nullum locum habere poteſt. Ut par-
va lux magna, ſic ratio S. Scriptura non eſt contraria. Et paulò
poſt: Si rationi religio adverſaretur, hoc ipſò ſuam falſitatem pro-
deret, & religio non eſſet. Summa enim & ipſa ratio eſt religio.
Omnium clariſſimè & impudentiſſimè Autor quidam Anonymus*

in libello, qui editus in Hollandia anno 1633, qui suam sententiam ita proponit, cap. 3. pag. 9. *Nimirum Judicem ipsi Spiritum S. statuunt. Quo ipso rationis sana judicium ante Spiritus S. illustrationem planè tollitur.* Et cap. 5. pag. 12. *Ejusmodi enim foveant unà cum Pontificiis dogmata, quæ nec sacris literis, nec principis naturalibus comprobari possunt: quid? quæ utriusque repugnant.* Id quod de posterioribus, de principis nempe Philosophia plerique eorum ipsi fatentur, ideoque etiam ea à norma controversiarum fidei excludunt, tanquam ad scientiam non ad fidem pertineant. Ex his satis patere arbitror, quænam sit Socinianorum hæc in re sententia, scilicet rationem humanam esse normam & judicem omnium quæstionum Theologicarum. Sententiam autem illam esse falsam, sequentibus probamus argumentis.

§. 2. Urgemus autem pro stabilienda sententia nostra ea Scripturæ testimonia, quibus ratio nostra dicitur corrupta, cæca & perversa. Ita Apostolus 2. Cor. 3. v. 5. *Non quod idonei sumus, à nobis ipsis quid cogitare ut ex nobis ipsis, sed aptitudo nostra est ex Deo.* Et 1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: Stultitia enim illi sunt, non potest ea intelligere.* Conf. Ef. 9. 1. Rom. 1. v. 21. Eph. 4. 18. Unde sequens contra Socinianos stringimus argumentum: Quicquid in se corruptum & in sacris cæcum est, illi de sacris judicare non licet. Atqui ratio humana est in se corrupta & in sacris cæca. Ergo de sacris illi judicare non licet. Quod accedit, quod Scriptura in definiendis rebus fidei nos nullibi ad rationis judicium remittat, sed potius eandem, ut rectè credamus, captivari velit 2. Cor. 10. v. 4. & 5. Addo etiam, quod nihil periculosius sit, quàm rationi judicium committere de credendis. Hac ratione enim sapientes hujus mundi vel planè non, vel admodum difficulter converteri poterunt. Nam quia mysteria & opera Dei omnem intellectum transcendunt, videntur impossibilia. Quodsi ergo illa ad trutinam rationis essent examinanda, procul dubio haberentur pro stultitia 1. Cor. 1.

§. 3. Sed obvertunt Sociniani (1) quod per rationem omnia judicentur, neque sine ratione aliquid recipi possit. (2) quod cultus noster sub N. Testamento dicatur λογικός rationalis, tum ob alias,

alias, tum ob hanc causam, quod totus rationi ita sit conformis, ut jure *δύγμασι* legis opponi possit. (3) Quod ipse Christus similitudinibus, vel parabolis ex ipsa ratione desumptis præcipua Christianæ religionis capita & mysteria exposuerit. Respond. ad (1) illud quidem procedere in humanis, non in divinis. Et licet ratio in controversiis Theologicis admittatur, ut instrumentum, non tamen ut norma & iudex. Benè B. Balih. Meisnerus disp. de Cal. fug. th. 83. *Ratione suo modo utendum esse in rebus Theologicis, quis nostrum unquam negavit? annon utimur ipsi, quoties vel proprietatem lingua, vel structuram totius contextus attendimus. Ex auditu est fides Rom. 10. ad auditum verò usus rationis requiritur, ut vox à voce discernatur, & aliquis sensus percipiat. Sic in confirmando, in destruendo, in exponendo, rationis usum necessarium esse non imus inficias, quia in omnibus τοῦτο παδείας & modus in Legibus præscriptus observari debet. H. I.* Ad (2) respond. quod Rom. 12. v. 1. per cultum rationalem non intelligatur cultus, qui ex judicio rationis desumitur, aut qui ad lancem rationis examinatur; sed opponatur cultus rationalis seu λογικὸς cultui ἀλόγῳ Vet. Testamenti ubi victimæ brutorum animalium Deo offerebantur; At Christiani in N. Testamento se ipsos sistant Deo in hostiam viventem & non *ζῶα ἀλόγα*, sed corpora sua Deo offerunt. Conf. Calov. System. Loc. Theol. Tom. I. Sect. 2. quæst. 6. p. m. 371. Ad (3) rehero, concedendo Christum quidem similitudinibus & parabolis ex ratione desumptis usum esse, sed tamen rationem non constituisse mysteriorum iudicem. Illustratio quædam rerum cælestium peti potest è rebus, quas ratio suppeditat, sed demonstratio inde desumi nequit, quia eam oportet procedere non *ἐξ ἀλλοτρίων*, sed ex *ἐκείων*, ut docet Quenstedius System. Theol. p. m. 42.

CONTROVERSIA III.

Num imago Dei sita fuerit in sapientia,
justitia & sanctitate?

§. 1.


Adamum ad imaginem Dei creatum esse ex Gen. I. 26. abunde liquet, sed in quo illa Dei imago sita fuerit, hac de re magna


gha inter orthodoxos & Socinianos datur dissensio. Illi enim in sapientia, iustitia & sanctitate eam sitam fuisse statuunt; hi verò negativam defendere non erubescunt, sic sermocinantes: *Ista sapientia rerum divinarum, & sanctimonia, quam Adamo ante lapsum tribuit Franzius unà cum aliis, idea quadam est in cerebro ipsorum nata, de qua ne ypo quidem in sacris literis*, inquit Smalcus contra Franzium p. 44. Et Socinus præf. cap. 3. p. 8. *Concludamus igitur*, inquit, *Adamum etiam antequam mandatum illud Dei transgrediretur, revera iustum non fuisse, cum nec impeccabilis esset; nec ullam peccandi occasionem habuisset: vel certè iustum eum fuisse affirmari non posse, cum nullo modo constet, eum ulla ratione à peccando abstinuisse.* Hanc autem Socinianorum Sententiam Scripturæ Sacræ esse è diametro contrariam è sequentibus satis superque elucescet.

§. 2. Urgemus autem hac vice tantum verba Apostoli Eph. 12. v. 4. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate vera.* Et Col 3. v. 10. *Induentes novum, renovatum in agnitionem juxta imaginem ejus, qui creavit eum.* Ex hisce sequentem in modum ratiocinamur: Cujus respectu homo secundum Deum, vel secundum imaginem Dei creatus est, & ad quod renovatur, in illo imago Dei fuit sita. Atqui respectu justitiæ & sanctitatis homo secundum Deum, vel imaginem ejus creatus est, & ad eandem renovatur. Ergo in illo imago Dei fuit sita, Major propositio utut sit immotæ veritatis, hoc tamen argumento confirmari potest. Per quod dicimur *ἀναγενέσθαι* renovari respectu primi hominis, in eo imago sita fuit. Atqui per justitiam & sanctitatem dicimur *ἀναγενέσθαι* renovari respectu primi hominis. Ergo. *Est enim regeneratio, quasi nova & altera creatio, cum qua conjuncta renovatio: per quam in renato restituitur amissa illa imago Dei, imbecillitè quidem in hac vita, consummative verò in altera vita*, inquit B. Gerhardus Tom. 2. Loc.

Theol. cap. 1. §. 36.







Theolog.
Dissertatt.



SBB



N12<142872929010



DISPUTATIO THEOLOGICA,
 EXHIBENS
TRIGAM CON-
TROVERSIARUM
ANTI-SOCINIANARUM,
2^{VA} M,
 GRATIA DIVINA ADSPIRANTE,
 RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO AC EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO



STAATSBIBLIOTHEK ZU BERLIN
 PREUSSISCHER KULTURBESITZ